UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Claudii Fleurii Abbatis Historia Ecclesiastica

Ab anno Christi 1521. usque ad annum 1525

Fleury, Claude

August. Vind. [u.a.], 1769

VD18 90118472

§. 126. Piscarii Marchionis obitus.

urn:nbn:de:hbz:466:1-66495

Visual Library

Secul. XVI
A. C. 1525

rari ſimulabat, quod fœderis conditiones ambiguis adeo verbis conſcriptæ eſſent, id tamen ex induſtria minime factum conſtanter aſſeverabat, Pontifici etiam ſignificans, pacta, ut ſibi beneviſum fuerit, libere conciperet, inſuper fidem ſuam obſtrinxit, ſe Cæſari perſuaſurum, ut huic fœderi infra bimeſtre ſubſcriberet, dummodo viciſſim Papa ſponderet, ſe interea quiete permanſurum, nec ullo pacto armorum ſocietati cum Gallis, Venetisque ſancitæ acceſſurum. Hæc Legatus tanta propoſuit fiducia, ut Papa promiſſi amplitudine ſeductus cunctis conditionibus annueret, id licet diſſuadentibus ſuorum amicorum non paucis, qui dolum ſubeſſe haud temere ſuſpicabantur.

§. CXXVI.

Piſcarii Marchionis obitus.

Paul. Jov. hiſt. Piſcarii. Guicc l. 16. Ant. de Vera p. 1. 7. Mezerai abregé chro to. 4. p. 317.

Hæc Menſe Novembri geſta fuere anno Domini milleſimo quingenteſimo vigeſimo quinto, quo Mediolanenſis Dux priſtinæ reſtitutus erat valetudini: econtra vero Piſcarius Marchio die vigeſima nona ejusdem Menſis anno ætatis ſuæ trigeſimo ſexto Mediolani vivis ereptus eſt, non ſine ingenti Venetorum commodo, qui abs dubio temeritatis ſuæ, qua coram Caracciolo ſe Cæſaris hoſtes declarabant, ſeveras dediſ-

ſent pœnas. Ceterum rumor erat, Piſcarium veneno fuiſſe ſublatum; paulo ante mortem ſuam Moronum liberum dimitti juſſit, verum Antonius de Leva ejusmodi mandatum flocci habuit. Corpus ejus Neapolim delatum eſt, ubi hodiedum ejus tumba ac ſepulcralis inſcriptio viſitur. Sæc. XVI. A. C. 1525.

§. CXXVII.

Borbonii Dux delato exercitus imperio in Italiam a Cæſare miſſus.

Imperator comperta Piſcarii morte, quantocius Borbonium in Italiam contendere juſſit, ut ibidem Cæſarei exercitus imperium ſuſciperet; nec minus Cæſar eundem Mediolanenſis Ducatus diplomate augere conſtituit: Aſt Salviatus Cardinalis ei expoſuit, ſibi haud perſuaderi poſſe, quod Itali Ducem, qui e gente eorum non eſſet, unquam toleraturi forent.

§. CXXVIII.

Cæſaris conſilium de Borbonio in Mediolani Ducem creando.

Nihilominus Imperator, ſpreto Salviati conſilio, Borbonio hæc ſignificari juſſit: „ Animo conſtitui, beneficiariam Mediolani poſſeſſionem tibi con-